

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Promptvarii exequialis pars ...**

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive  
scripturae dicta varia ...

**Bidembach, Felix**

**Francofurti, 1625**

Thema CXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

sein vatter so redlich/ 2. Sam. 9. v. 7. Ebedmelecho promittitur securitas, qui defendit Jeremiam, Hier. 39. vers. 17. Maior autem merces in altera vita erit.

Vsvs huius loci generalis is est, Nunquam deserenda esse veritatem. Etiam cum capitis periculum imminet. Nō metuendi, qui occidunt tantū corpus. Mar. 10. v. 18. Et qui negauerit, Matth. 10. v. 33. Sed in Politicis etiam non dicas aut cogites, Si huius patrocinium susceperō, cōcitant in me osium Saulis, sicut Jonathan defendens Dauidē, 1. Sam. 20. v. 32. Ich werde diesen v. er jenen fürn Kopff stossen. At caue potius, ne Deum offendas. Nil refert, du stoffest jene fürn Kopff oder fürn ic. (Nota locum Prouerb. 24. v. 12.) Deum time.

F I N I S.

## T H E M A C X.

Syr. 5. v. 8.

*Non tardes conuerti ad Dominum, &c.*

Dispositionem huius Thematis vide supra in I. parte Promptuarii, Classe VIII. Num. X. pag. 733.

## T H E M A C X I.

Syr. 7. v. ult.

*Quicquid agis, respice finem, & nunquam peccabis.*

## D I S P O S I T I O.

Sepius scriptura iubet nos considerare finem, & hominum & actionum humanarum.

Cum funera curamus, iubet Syrach finem illorū considerare, qui sūt mortui, Syrach. 38. v. 23. Memēto finis. Et Salomon Eccl. 7. finem omnium vult apponi ad cor, & viuētib; vers. 3. Cum miramur super felicitate impiorum, iubemur ingredi sanctuarium Domini, & intueri finem, Psal. 73. v. 17. Et Propheta Heseckiel ca. 7. vers. 2. saepe

repe-

Repetit, Venit finis venit finis terræ Israel, cum in impietatem prolapsi mox captivi abducendi essent Hebræi. Cum moriuntur Ecclesiæ Doctores, iubemur intueri finem ipsorum, Heb. 13. v. 7.

Hæc audientes & considerantes plurimi, non cogitant, quod suum quisque finem non minus quam aliorum considerare debeat. Imo magis & sæpius ad proprium finem respiciendum, quam in alienum.

Ideoq; ad excutiendum veterum illum in natum hominibus, Syrach hoc loco sententiola breuissima quidem, ægrauissima, omnes homines exhortatur, vt semper sint memores finis sui.

Recita verba textus. Hæc paulo diligentius excutienda erunt. Dicemus itaque de his:

1. Quid finis nomine intelligat hic sapiens.
2. Quando & quomodo finis nostri recordari debeamus.
3. Ad quid crebra recordatio finis utilis sit.

I. Pars.

Iuber sapiens nos memorare nouissima, & respicere finem. Finis autem hominis est mors. Sicut nasci est primum, & proximum est pati, ita extremum est mori.

De morte igitur sæpius cogitare hominem iuber. Neque vero tantum de morte vult cogitare, sed de eo, quod mortem sequitur. Mors enim nunquam mala esset, si non sequeretur illam iudicium. Et hoc facit aliorum mortem malam, quod sequitur mortem August. teste. Si corpus & anima simul interirent, de fine non multum sollicitus esse oporteret. At restat aliud nouissimum, iudicium scilicet. Sed adhuc vnum est, quod est omnium nouissimum, scilicet. sententiæ in iudicio lætæ exsequutio. Videntur itaq; ad finem hominis, ista tria nouissima pertinere: Mors, iudicium, & exsequutio, vel salutem æternam, vel damnationem æternam afferens.

Ideoque scriptura sæpius cum morte coniungit iudicium

dicium, Heb. 9. v. 27. Omnibus constitutum est mori, post vero iudicium.

Hebr. 6. v. 2. Cum resurrectione mortuorum iudicium coniungitur. Et passim alibi.

[ **NOTA.** Veteres quatuor dixerunt esse hominis nouissima: 1. Mortem, 2. iudicium, 3. infernum, 4. regnum Dei. Quia autem infernus & regnum cœlorum non simul vni homini competunt, sed vnum tantum ex iis, vel cœlum, vel infernus, ideoque executionem iudicii, iterium fecimus nouissimum, quia id omnibus commune est. ]

Itaque de singulis, quæ ad finem hominis pertineat, constare debet omnibus ex scriptura.

1. De mortis hora quidem incerta, at morte certissima, ipsa quotidiana experientia dubitare prohibet.
2. De iudicio constat nobis ex symboli articulo VII. & Act. 17. v. 31. & 2. Cor. 5. v. 10. Apoc. 20. v. 11.
3. De iudicii executione constat ex Matth. 25. v. 46. Joan. 5. v. 29. Dan. 12.

## II. Pars.

Quando autem & quomodo de his cogitandum? Multi pucant, de his tum demum cogitandum, cum homo ad senectam peruenerit, & iam omnibus viribus exhaustus, paulatim sese ad mortem & quietem componit. Wann er nicht mehr viel Ziel hat: Die Seel am Arm trägt: Was schon höret für der Hölle Noth spalten / sicut loquuntur nostrates. Diuersum autem Syrach docet.

I. Primum: Quando cogitandum de his nouissimis, monet, scilicet, semper & vbique. Dicit enim *In omni opere tuo memorare nouissima.* Was du thust. Quicquid agis, quicquid tentas, semper cogita de morte, iudicio, executione. Consentit Salomon, & rationem huius perpetuæ meditationis affert: Eccles. 12. vers. vltimo. Scito, quod cuncta opera Deus post mortem sit adducturus in iudicium: Et D. Hieronymus sic habet: Sive edam, sive bibam,

bibam siue dormiam, siue vigilem, aut quidcunque faciam, semper in auribus meis sonat vox illa, Surgite mortui, venite ad iudicium Recte etiam veteres dixerunt: Ich gehe auß oder ein / so steht der Todt vnd wartet mein. Itaque semper cogitandum, Morieris, Mortalis es, Homo es. Sicut Philippus Macedo *quotidie* moneri voluit. Meditationem mortis summam sapientiam dixit Basilius. Mors iuuenibus in insidiis. Senibus in ianuis. Bernhard. Mors est certa, incerta dies, incertior hora: *Extremam idcirco quamlibet esse puer.* Et tota vita nihil debet esse aliud, quam meditatio mortis. Dicendum ergo cum Philippo Malanch. Sic ego quotidie fargo delecto precando: Ut mens ad morrem sit duce læta Deo.

Hoc est, quod Psal. 39. v. 6. orat, Domine doce, quod *finem* sim habiturus. Idem orat Psal. 90. v. 12. Veteres variis picturis, vt mortis, clepsydæ, &c. item rhythmic & variis sententiis huius rei voluerunt commonefieri. Viue memor lethi. Respice finem.

Ita etiam semper & vbiq; de sequenturo iudicio & executione sententiæ cogitandum. Quod nos omnes tantum sistendi iudicio, 2 Cor. 5. v. 10 sed & omnia dicta & facta examinanda iuxta scripturam, Rom. 2. v. 16. In libris scripta, Apoc. 20. v. 12. siue bona siue mala, 2. Corin. 5. v. 10. Etiam omne verbum ociosum, Matth. 12. v. 36.

Et ideo hæc nouissima, seu extrema hominis, scriptura toties & tam serio inculcat: vt illa nunquam excidant memoria nostra.

II. Secundo. Quomodo autem ista nouissima memoranda? Quomodo respiciendus finis? Non sicut multi, de morte & iudicio verba facientes, interim hæc omnia ad se nihil attinere existimant, ita nos etiam tantum de aliis ista memoranda putemus: sed ad nostrum vltim semper accommodemus.

1. Vt non multos nobis polliceamur annos: sed cogitemus de laqueo, Luc. 21. fure, 2 Petr. 3. Apocal. 3. & 16. Tempora longa tibi noli promittere vitæ: Quocunque

Z 3 ingre-

ingrederis, sequitur mors corporis vmbra. Istud monent tot similitudines florum, Esa. 40. v. 6. graminis, Psal. 90. v. 5. vmbrae, Psal. 102. & 109. venti, Job. 7. v. 8. &c.

2. Deinde sic respiciendum ad finem, vt sciamus, in morte mox incipere iudicium.

Qualis enim de hac vita exieris, talis reddetis illi vitæ, Augustinus super Psal. 39.

Et Hieronymus. In die mortis impletur, quod in die iudicii futurum est singulis.

3. Tertio. Sic de morte & iudicio cogitandum, vt quarum media, qua mortem faciunt iucundam, & à iudicio condemnationis absoluunt. Orandum ex Psal. 113. v. 3. Nemea in æternam claudantur lumina mortem, Da vigiles oculos pectoris esse mei.

Orandum: Ne intres. Quis stabit, Psal. 143. v. 3. & Psal. 130. v. 3. Cogitandum de eo, quod facit, ne veniamus in iudicium *condemnationis* sc. Joan. 5. v. 24. & Joan. 3. v. 18.

### II. Pars.

At quorsum per omnem vitam & in omnibus actionibus sic se exercuabit homo, vt semper de morte & iudicio cogitet? quid inde vtilitatis habebit?

Multum sanq; per omnem modum. De hoc Syrach. Memorare in omnibus operibus nouissima, & nunquam peccabis.

Ecce optimum remedium contra peccata crebriora. O artem artium. De qua dici vere possit, *Probatum est.*

Quid facit homines securos, vt in peccatis pergant sine omni rubore? Id vnum, Esaia teste, quod imaginantur sibi, se fecisse pactum cum inferno, & secdus percussisse cum morte, Esa. 28. v. 15. Et quia non statim sentiunt iudicium Domini, Eccel. 8. v. 11.

Contra vero perpetua meditatio mortis & sequitur iudicii facit hominem semper cum timore & tremore operari salutem, Phil. 2. v. 12. vt firmam faciat vocationem, 2. Pet. 1. v. 10.

Qui

Qui cogitat verbum otiosum, venturum in iudicium, frænabit linguam.

Qui cogitat reddendam rationem de omni facto, carebit ne male agat.

*Et qui gehennam præ oculis habet, in gehennam nõ cadit.*

Exemplis res fiet manifestissima, de quibus ipsa scriptura monet.

1. Qui enim mortem & iudicium extimescit, non erit difficilis erga proximum. Matth. 5. v. 15. reconciliabitur dum in via est. Syr. 28. Desine inimicari. Ratio. Memento nouissimorum. Vide plura ibi ab initio capituli, vsque ad vers. 8.

2. Qui memor est mortis, non desiderabit cumulare opes malis artibus, sed memor etiam erit egregie illius similitudinis. Ier. 17. v. 11. Sicut avis fouit oua, quæ non excludit, &c. Et illius diuitis, Luc. 12. v. 20. Stulte.

3. Tandem si maxime peccauit aliquando immemor mortis & iudicii, tamen vbi cogitauerit de fine & ira ventura in nouissimis, Syr. 18. v. 24 &c. non differet conuerti ad Dominum. Ibid. v. 22.

Summa, qui de morte & sequuturis mortem nouissimis, sæpe multumque cogitat, in aduersis & secundis rebus tenebit modum, memor dictorum Syracidis, cap. 12. v. 17 & 20. Syr. 18. v. 25 & 26.

Paret hinc, ad extremum, quantum periculum imminet his, qui nec ipsi de morte cogitare, nec alios de his rebus verba facientes audire volunt: Existimantes non prius de his dicendum, quam hora mortis instet. Iucundiora interim tractanda sic itaque securi peccatis indormiunt, atq; morte præuerti pereunt in impenitentia.

F I N I S.

T H E M A C X I I.

Syr. 8. v. 8.

*Noli de mortuo inimico tuo gaudere, sciens quod nobis omnibus moriendum.*

Z 4 DIS.